

300  
48 Ceterum quoniam Regiæ domus, non minus Delatoribus, quàm Adulatoribus, frequentissimè patent, & æquè, aut sæpè gravius, illi, quàm hi, Regibus & Reipublicæ damnosi esse solent, pariter quoque curare debent, ut hæc hominum vitia procul à suis auribus, & oculis eliminent, qui nulla necessitudine cogente, suis commodis, vel odiis, aut invidiis, deservientes, ex optimorum calamitate sua incrementa venantur, & falsa pro veris faciendè, & artificiosè suggerentes, & suadentes, tot excellentes, & divina virtute viros, invidiæ Principum, quasi victimas, objecerunt, ut multis aliis omissis, in Boëtio, & Symmacho ejus socero, sub Theodorico Gothorum Rege contigisse ex Procopio (n), & aliis, latè Camerarius (o) recensent. Addens qualiter Symmachi spectrum, eidem Theodorico apparuit, ejusque minantibus oculis, & monstrosa visione territus, succubuerit.

49 Horum Delatorum sub Tiberio, Domitiano, & aliis Romanis Imperatoribus, dolos, artes, imposturas, & damna hinc passim exorta, graviter in suis Annalibus Tacitus (p) refert & dolet: *Genus hominum publico exitio repertum, & pœnis quidem nunquam satis coercitum, quoddam in loco eos vocans: & in alio, Exitiabile, & vel ad primores Senatus; cum communi bonorum omnium confusione, & intimidation protensum.* Et iterum in vita Agricolæ (q), tradens quòd sub anterioribus Principibus per has inquisitiones, & loquendi, & audiendi commercium ademptum erat.

50 Et sanè actum esset ob hanc lucem de magnitudine Romana, nisi Trajanus, laudatissimus Princeps, ejus damna presentiens, hoc intestinum malum excinderet, exemploque suo ceteris, qui laudabiles esse cupiunt, exemplum relinqueret, delatores veluti piaculares publicæ sollicitudinis victimas, in bonorum omnium exultationem, suprà sanguinem noxiorum, ad lenta supplicia, gravioreque pœnas duci debere. Quod factum referens & extollens Plinius Junior, (r) sic inquit: *Congesti sunt delatores in navigia raptim conquisita, ac temporatibus dediti, abirent, fugerentque vastatas delationibus terras, ac si quem fluctus, & procella scopulis reservassent, hic nuda saxa, & in hospitale litus excoleret, ageret duram & ansiam vitam, reliquaque post tergum totius humani generis securitate, mareret.*

51 Trajanum in eodem supplicio Titus prævit, ut Suetonius (s) in ejus vita commemorat, & ad hunc, vel ad illum respicit Martialis in suo Amphitheatro dum inquit (t):

*Turba gravis paci, placideque inimica quieti,  
Que semper miseris sollicitabat opes;  
Truducta est Getulas (alii legunt Gyaris) nec capit arena nocentes,  
Et delator habet, quod dabat exilium:  
Exulat Ausonia profugus delator ab urbe,  
Impensis utinam Principis amumeret.*

52 Verùm quoniam de his Delatoribus eorumque apud varios Principes præmiis, vel pœnis alii (u) plura dixerunt, hæc tetigisse contenti, ad alia transitum facimus, interim tamen duo alia Batilii (x) Emblemata, Adulatores pingentia, ac pungentia, & post hæc scripta reperta, super addentes. Quorum primum ex lupi scalpentis assellum, quem devorare parat, effigie formavit. Alterum verò ad nostrum Cervum alludens, & hoc Disticho claudens:

*Talis blanda jubant quem, & dulcia verba morantur  
Assentatoris captus ab arte perie.*



EM.

(n) Procop. in Gothic. lib. 1. fol. 167.

(o) Camerar. 3. succisiv. cap. 56.

(p) Tacit. 4. &amp; 6. Annal. &amp; alibi passim.

(q) Idem in Agricola. in Præfat.

(r) Plin. Jun. in Paneg.

(s) Sueton. in Tito, cap. 8.

(t) Martial. in Amph. epigr. 4.

(u) Alex. Tirac. Menoch. Dempster. Osuald. Cajac. Petr. Gregor. &amp; alii apud Amojam in Rubr. C. de delat. lib. 10.

(x) Batil. Emblem. 117. &amp; 118.

EMBLEMA LI.  
NOVUM OMNE CAVE.



*Non nisi pendente laqueo de gutture profert  
Locrensi populo, qui nova jura dabat.  
Funis vitam adimit, Patribus nisi dicta placerent,  
Præmia sed pariunt, dicta probata, viro.  
O si funis adest, si nex, si pœna fuisset,  
Quàm minor arbitriis sedula turba novis.*

## COMMENTARIUS.

**S**uspectos quoque, non minus quàm Adulatores, vel Delatores, cujuslibet sortis, ac conditionis homines habere Principes debent, qui facile sibi constituta Majorum, quidpiam aliud, ad communem Reipublicæ statum spectans, vel novis oneribus populum gravans, mutandum, innovandum, sive introducendum, suadent. Nam & hi solent sæpè sub specie recti decipere, gratiora, quàm veriora suggerere, & sub publicæ utilitatis prætextu, privatis suis commodis inihiare, Horatianumque illud (a), re ipsa, verissimum reddere:

*Postquam omnis res sua Janum  
Ad medium fracta est, aliena negotia curant,  
Excussi propriis.*

Vel Plautini Parasiti (b):

*Sed curiosi sunt hic quamplures mali,  
Alienas res, qui curant studio maximo;  
Quibus ipsis nulla res est, quam procurant sua,  
Et curiosus nemo est, quin sit malevolus.*

2 Hos vulgò *Arbitristas*, vocare solemus, quorum naturam, ingenium, & imposturas, ultra alios paucis noster Joan. Marquez (c) satis eleganter perstringit, inquiens à Palatiis eliminari debere, quia sæpè solent vana, injusta, indecentia, vel effectu praxique impossibilia, ac semper perniciose, sub exiguo præmio proponere; illisque respondendum esse, quod in simili, aliis, qui magnos thesauros, parva accepta mercede, se detecturos pollicentur, Ennius (d) apud Cicero- nem scripsit,

*Magnas divitias promittunt, & dragma petunt,  
Ex iis divitiis sibi deducant dragma, reddant cetera.*

Nos

(a) Horat. lib. 2. satyr. 3.

(b) Plaut. in Stich. Act. 2. scen. 1.

(c) Marq. in gubern. Christ. lib. 1. cap. 16. pag. 95.

(d) Ennius apud Cicero. lib. 1. de divin. in fine.

3 Nos, eandem doctrinam æqua lance in ceteris suscipiendam, parique studio suspectandam esse consulumus, cordatumque quemlibet Principem, lento gradu, cautoque admodum iudicio, in his consiliis admittendis, vel exequendis progredi debere, monemus, quæ quicquam ex antiquis innovant. Pro quibus, in dubio utilitatis, ac rectitudines præsumptionem extare, graviter Politicorum omnium gravis ille Magister Tacitus (e) docuit, dum dixit: *Super omnibus negotiis melius, atque rectius olim provisum, & quæ convertentur, in deterius mutari.*

4 Unde Thucydides (f) eam Rempubliam, quæ malis quidem, sed immotis legibus utitur, præstantiorem illa esse inquit, quæ bonis quidem, sed tamen mobilibus, & inconstantibus. Et Dio Cassiodorus (g) memorat, Augustum Cæsarem ita Senatam Romanam exhortatum fuisse: *Positas semel leges constanter servate, nec ullam earum immutate: nam quæ in suo statu eademque semper manent, & si non nihil vitiosa, utiliora tamen sunt iis, quæ per invocationem, vel meliora indicantur.*

5 Cassiodorus (h) quoque, sub Theodorici Regis persona, sic in quadam epistola inquit: *Delectamur vetustatis invento, & sequi regulas constitutas libenter amplectimur, quia locus subreptionibus non relinquitur, quoties rationabiliter constituta servantur.*

6 In idemque ipsum tendit frequens illa apud nostros Juris Consultos animaversio (i): *Nil facilius ex solemnibus immutandum, vel quæ interpretationem certam semper habuerunt, & in rebus novis statuendi evidentem utilitatem esse debere, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum visum est.*

7 Quibus sexcenta alia similia congerere possem, quæ passim apud alios, tam Legulejos, quam Politicos obvia sunt. Inter quos Baldus à Menochio (k) latè illustratus, hinc infert, quòd *Omnis novitas mala præsumitur.* Ancharranus (l) quòd *Novitates semper pariunt discordias, idè odiosæ, & per consequens non fovendum eis.* Nevizanus (m), qui, *Eas, filias diaboli vocat, & quòd iudices, ne intrent in infernum, non debent placere eorum dominis, super novitatibus inducendis.*

8 Sed omitti non potest Tertullianus (n), ea, qua solet alia, gravitate, ac maturitate, nos docens: *Novum omne, & incognitum quod est, suspectum est.* Et D. Thomas (o), qui non contentus, quodam loco dixisse, non solum evidentem, sed evidentissimam, maximamque utilitatem esse debere, quæ nos ad res novas tentandas, & admittendas, suadeat, in alio (p), sic elegantissimè ait: *Lex non est mutanda, quoties experientia quippiam melius offert, ni tantum sit bonum, ut mala infinita novatio vincat.*

9 Quæ verba sumpta videntur ex lege (q) quadam nostri Regis Alfonsi X. quæ pariter leges solvi mutarivè prohibuit, nisi *La sobejania, i asperedumbre del mal, que de ellas se experimenta, aventaje una gran partida la bondad del bien, que podria esperarse de su observancia.* Et in idem respiciens alia (r) Imperatores Arcadii, & Honorii, *Morem fidelissima vetustatis retineri præcepit.*

10 Ejusque solius argumentatione, & veneratione Symmachus, (quamvis impiè) eisdem Augustos ad tolerandam Ethnicorum jam cadentem Religionem hortatur, dum inquit (s): *Servanda est tot seculis Fides, & sequendi sunt nobis parentes, qui sequuti sunt feliciter suos, &c. videro quale sit, quòd instituendum putetur, sera tamen, & contumeliosa est emendatio senectutis.* Et iterum (t) *Institam divinis sensibus vestris ore justitiam, ne adversum divi Gratiani definitionem, adversus rescripta tot Principum, novum hoc inducat exemplum.*

11 Nititurque hoc doctrina in damnis, quæ Respublica ferè semper, ex novarum legum, consuetudinum, aliarumque rerum mutationibus, & innovationibus patitur. Quòd in causa fuit, ut Cornelius Gallus rectissimè dixerit:

*Eventus varios res nova semper habet.*

Et signanter D. August. (u) docere potuerit: *Ipsa mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat.* Et Mecenas ad Augustum apud Dionem (x): *Optimum esse nò nova quidem nomina in Rep. permittere.*

12 Quibus consentiens Cassiodorus (y): *Plerumque (inquit) solliciti fiunt, qui mutatos rerum ordines intuentur, quia sæpè protendant aliqua, quæ consuetudini probantur adversa.* Lucianus: (z) *Sed ut videtur, sæpè numero mutatio in melius, majorem malorum consuevit esse principium.*

(e) Tacit. lib. 14. *Annal.* vide Lips. in *polit. lib. 4. cap. 9. & lib. 6. cap. 3.*

(f) Thucyd. lib. 3. *Cleoni tribuit Lycosthenes in Apoph. pag. 442.*

(g) Dio Cassiod. lib. 52.

(h) Cassiodor. lib. 2. *epist. 4.*

(i) *L. etsi nihil, D. de reg. jur. l. minimè, D. de leg. l. in rebus, de const. Princ. l. fin. tit. fin. part. 7. Ego plurimos refero in Alleg. de præsen. num. 18. & 2. tom. lib. 1. cap. 4. ex num. 73. & lib. 2. cap. 30. ex num. 99.*

(k) Bald. *dict. leg. in rebus.* Menoc. lib. 3. *pres. 122. num. 116. lib. 5. pres. 32. ex num. 2.*

(l) Anchar. *cons. 157. num. 8.*

(m) Neviz. *cons. 11. num. 3. Morot. resp. 9. ex num. 21. Valenz. cons. 114. num. 28. 146. num. 47. 184. n. 6.*

(n) Tertul. *de præscrip.*

(o) Div. Thom. 1. 2. *quest. 9. art. 1.*

(p) *Idem dict. quest. 9. art. 2.*

(q) *L. 18. tit. 1. part. 1.*

(r) *L. testamenta 18. C. de testam.*

(s) Symmach. lib. 10. *epist. 54.*

(t) *Idem lib. 10. cap. 47.*

(u) Div. August. *epist. 118.*

(x) Dio lib. 51.

(y) Cassiod. lib. 12. *epist. 25.*

(z) Lucian. *var. hist. lib. 1. fol. mibi 125.*

13 Et D. Thomas (a): *Lex (inquit) non est mutanda, quoties experientia quippiam melius offert, ni tantum sit bonum, ut mala infinita novatio vincat.* Balduinus (b): *Periculosa est quidem omnis in Republica legum mutatio. Nam eam sequitur repentina quedam, & morum & vite mutatio.* Petr. Gregorius (c) *Sæpè contingit in Republica, neglecta paulatim quedam immutatio, quæ si non curetur, & emendetur, ad corruptionem, & interitum faciliè eam perducit, fit enim forme immutatio, & hinc sequitur ejus, quod erat, destructio.*

14 Unde inter omnes Politicos, & Juris-Consultos, nihil communius, Aristotele (d) præunte, receptum est, quàm Novitates, & Novatores cavendas, cavendosque esse, docere, & longo tempore consuetis, etiam si deteriora sint, persistendum, quia minùs molesta insuetis esse solent. Quod Nicolaus Causinus (e) non malè significari posse inquit, per citharam Timothei Milesi Musici, quam, Pausania (f) testante, Lacedæmonii ad Sciadem suspenderunt, eundem multantes, quòd septem lyra fidibus, quatuor addidisset. Hac veluti parabola significantes: *Nil in Republica novandum, ut Plato (g) præmonuit, ejusdem mentionem faciens, & sic inquiens: Novam ne musicæ formam introducamus, omnino cavendum: in quo periculum summum est, numquam enim musici numeri immutantur, sine legibus civitatis, iisque maximis.* De qua historia latius post Boëtium meminerunt Lilius Giralduus (h), & Philippus Camerarius (i), Lacedæmoniorum de hac re decretum ad literam referentes, licèt Plutarchus (k), & alii à nostro Bobadilla (l) laudati, hunc Musicum, à Lacedæmoniiis exulare jussum, *Frimem* appellent; & duas tantùm cordas antiquis citharis addidisse tradant.

15 Nos verò, aptius, ni fallimur, de eisdem Novitatis periculis sub hoc, quod vides, Emblemate, nostrum Principem commonemus, ex Locrensi more desumpto, qui, *post Demosthenem (m), plures alii passim Auctores (n) enarrant, ad deterrendos ab incepto Novatores, staturerunt, ne quis novam legem, novumvè aliquod institutum ad populum ferret, nisi prius inserto in laqueum collo, illud palam exponeret, ut si populo placeret, Auctore laudato, & remunerato, reciperetur, sin miùs, confestim stricto laqueo suffocaretur, temeritatisque & inconsultæ innovationis pœnam acciperet.*

16 Qui sanè mos, à Persarum lege non multum discedit, qua, *ut Ælianus (o) commemorat, receptum fuit, ut si quis de rebus novis, ambiguisvè, atque obscuris Consilium Regi dare vellet, super aureo latere staret, atque si bona salubriaque in medium consultuisse videretur, latere, in consilii præmium, accepto, discederet; sin verò contrarium, flagris asperrimè cederetur.* Erat quippè apud eosdem Persas sancitum, ut in historia Daniellus (p) refertur: *Ne mutari ullo modo posset ullum edictum, aut lex, quam Rex Persarum condidisset; licèt ipsi omnino eisdem legibus planè soluti essent, ut juris Persici prudentes Cambysi apud Herodotum (q) respondisse leguntur.*

17 Cretenses quoque, adèò Novitatis damna exhorrebant, ut inter primas ad Deum preces, illam haberent, ne nova aliqua consuetudo in ipsorum civitatem irreperet. Et Alexander ab Alexandro (r) recenset, apud Æginetas cautum, ut qui novæ condendæ legis causam daret, invisus omnibus, & execrabilis fieret. Sicque & apud Indos, si quis aliquid perniciosius invenisset, nisi protinus remedio succurreret, morte plecti solere.

18 Tantique hoc ad Reipublicæ salutem, & conservationem expedire putavit Lycurgus, ut Plutarcho, & Suida (s) referentibus, cum Lacedæmonii leges, quas illis utiles esse putavit, dedisset rogaturus, ut ajunt, Apollinem de aliis quibusdam, jurejurando eisdem Lacedæmonios adegit, ne quam ex iis, quæ jam sancitæ essent, abrogarent, donec ipse rediisset. Qui cum jurasset, audito Oraculo, felicem fore urbem, si leges ipsius retineret: non revertendum sibi censuit, conservationemque illarum propriæ vitæ anteponeus, voluntario exilio in Cretam, si-ve, ut legunt alii, Cryssam, abiens, sibi ipsi manus atulit, cineresque suos in mare projecit iussit, ne fortè illis in patriam relatis, cives se sacramento solutos arbitrari possent, saluberrimasque leges abrogari prætenderent.

Quam

(a) Div. Thom. 1. 2. *quest. 97. art. 2.*

(b) Balduin. in §. *sed naturalia*, num. 24. & 25. *inst. de jur. natur.*

(c) Petr. Gregor. *de Republic. lib. 5. cap. 1. num. 20.*

(d) Aristot. 6. *polit. cap. 6. Canonh. in Apbor. 1. tom. pag. 690. & seq. Koch. Simanh. Paliarg. Amirat. Valenz.*

(e) alii plures apud Me 2. tom. *de Ind. gubernat. lib. 1. cap. 4. ex num. 73. & lib. 2. cap. 30. ex num. 99. Contz.*

(f) *polit. cap. 25. §. 9. & 13. noviss. Saaved. in id. pol. pag. 139. Euseb. in Theopol. pag. 466.*

(g) Causin. in *Politt. lib. 12. cap. 33.*

(h) Paus. in *Lacon.*

(i) Plato in *Dialogo de Justo.*

(k) Lili. Girald. in *hist. Poes. dial. 9.*

(l) Camer. 1. *subcit. cap. 18. in fine.*

(m) Plutarco. in *Agide.*

(n) Bobadil. *plura alia contra novitates adducens in polit. lib. 1. cap. 13. num. 1. & melius cap. 5. num. 9. & 10.*

(o) Demosth. in *orat. cont. Timocras.*

(p) Balduin. & Aldobrad. in *dict. §. sed naturalia.*

(q) Conan. lib. 1. *cap. 9. num. 3. Spinias. in politismo, lib. 2. cap. 12. Matheaz. de via, & rat. jur. lib. 1. cap. 23.*

(r) Ælian. *de var. hist. lib. 12. cap. 12. vide Coning. in theat. pol. 2. part. pag. 241. Briss. lib. 1. de Reg. Pers. pag. 24.*

(s) Dan. *cap. 6.*

(t) Herod. lib. 3. *Briss. sup. pag. 22.*

(u) Alex. 6. *Gen. cap. 14.*

(v) Plutarco. in *Lycurg. & Suidas ex eo, verb. Lycurgus.*

19 Quam historiam Alexius etiam Venegas (t), non malè doctus suæ tempestatis Scriptos, literis prodidit, addens tamen (nescio quibus motus rationibus) non in Cretam, vel Crissam, sed in Vasconiam nostræ Hispaniæ, quam nunc Vizayam dicimus, Lycurgum adventasse, eique genti linguam Laconicam communicasse, quæ est illa, qua hodie utuntur, & ex Laconia Vasconiæ nomen accepit.

20 Sed non minùs notabilis, & ad rem nostram conducens, ita mihi videtur, quam ex Mullero (u) Bessoldus (x) enarrat, inquit, in Libonia rusticis, ac agrestes homines nobilium misera mancipia esse, & si vel diurnum laboris pensum dominis non solvant, vel alio modo eosdem irritent, miserivè vapulare. Quos cum Poloniæ Rex Stephanus, anno 1582. vocari, ac significari jusset, duræ se illorum conditionis misereri, ideòque velle eos à plagis, & verberibus vindicare, ac si peccaverint, mitissimam deinceps multam imponere: ei Rustici, antiquas se consuetudines mutari nolle, omniaque dura malle perpeti, responderunt, quàm novitatem aliquam introduci.

21 Neque silentio involvi possunt Pontificiæ sanctiones (y) quarum una hujus doctrinæ hanc reddit rationem: *Nec mirum, quia plerumque pariant novitates discordiam, præsertim dum ab eo, quod diu æquum visum est, per novam constitutionem recedatur, nec quare recedatur utilitas evidens, vel alia causa subest.* Et altera (z) *In hac causa (inquit) consultius duximus, multitudini, & observatæ consuetudini deferendum, quàm aliud dissensionem, & scandalum populi statuendum, quàm adhibita novitate.*

22 Ideòque, omnibus semper seculis, & apud Nationes omnes, improbata est frequens illa novorum Regum, ac Principum consuetudo, qui vix Imperii habenas adepti, se solos sapere putant, & arcem tetigisse Minervæ, facillèque à suorum prædecessorum legibus, stylo, modò procedendi, discedunt, eorum gesta contemnent, mutantes, aut innovantes. Quos hac de causa Gregorius Papa (a), non *Constructores*, sed *Eversores* appellat, & pluribus Tiberius Decianus (b) reprehendit, adjiciens post Baldum: *Quod successor Principis, contraveniens factis Antecessoris, dicitur contravenire sibi ipsi, est quo semper est unum Imperium, & ab aliis spectet successoribus, quod ipse Prædecessori suo præstitit.*

23 Quam Tallionis comminationem, jam dudum Dagobertus Rex Francorum, referente Aimoino (c), & Brissonio (d), filiis suis his verbis, notatu dignis, scriptam reliquit: *Deinde reveremini me Patrem vestrum, qui rogare malo, cum possim jubere, ut statuta nostra inconcussa servetis, sicuti vestra à successoribus vestris servare volitis. Profecto scientes, quod si à nobis sancita contemptui habueritis (quod non arbitror) pari modo & vestra à posteris contemnentur decreta.*

24 Et hoc justitiæ rationem postulare D. Gregorius (e), his quoque verbis ad Montanum scripsit: *Justitiæ, ac rationis ordo suadet, ut qui sua à successoribus desiderat mandata servari, decessoris, sui proculdubio voluntatem, & statuta custodiat.*

25 Pluribusque Joannes Nevizanus (f) ostendit, inquit, ob frequentem Principum consuetudinem, in his sanctissimis documentis violandis, effectum, ut veluti in Adagium transierit, *Novitatem Regis inducere novitatem legis.* Quod idem valet, atque illud, *Novus Rex, nova lex.* Quod in Erasmi chiliadibus reperitur, & in hunc sensum, meo judicio, accipi debet, licet Erasmus (g) ipse in alium referat, & non tam de scripta lege, quàm de moribus Regu intelligat, ad quos populi statim accommodantur, quique sæpè efficacius subditorum animos, quàm leges ipsæ movere solent, juxta ea, quæ latè in commentario alterius Emblematis (h) ad notavi.

26 Ceterum pro mea expositione, ultra Auctores supra relatos, stare etiam videtur Petrus Gregorius (i), qui hanc consuetudinem, de qua loquimur, & ejus damna, his verbis proponit: *Deinde, ut experientia docuit: semper cum novo Rege, nova lex sequitur, novi Magistratus, novi amici, nova consilia, novi inimici, nova vestimenta, novus modus vivendi: in summa omnia innovantur, nec alia interdum de causa, quàm ut sui memoriam ex innovatione relinquunt: quod non solum singulis, sed etiam corpori Republicæ maximè damnosum est. Nam federe cessant, armantur vicini, confederatim invadunt, prædantur fortiores eos, qui debiliores sunt, &c.*

27 Neque abest Noster Saavedra (k) qui cum quodam in loco plura de damnis multiplicanda-

(t) Alex. Vanegas in Com. Comædia Samarider.

(u) Muller. in hist. Septent. fol. 31.

(x) Bessold. In dissert. de Monarch. cap. 5. pag. 24.

(y) Benedict. XI. in Extrav. 1. de privi. in princip.

(z) Celest. III. in cap. quod delectio, in fin. de consang.

(a) Gregor. Pap. in cap. si ea 4. 25. quest. 5.

(b) Decian. cons. 25. ex num. 41. ad 48. vol. 1. Osasc.

(c) Aimoin. cons. 11. Georg. alleg. 15. ex num. 12. ad 16.

(d) Ego 2. tom. lib. 2. cap. 27. ex num. 76. & lib. 4. cap. 9.

(e) Ego 2. tom. lib. 2. cap. 27. ex num. 76. & lib. 4. cap. 9.

(f) Ego 2. tom. lib. 2. cap. 27. ex num. 76. & lib. 4. cap. 9.

(c) Aimoin. de gest. Franc. lib. 4. cap. 30.

(d) Briss. de form. lib. 7. pag. 772.

(e) Div. Gregor. lib. 5. epist. 12. ad Montan. relatus

in cap. justitiæ 25. quest. 1.

(f) Neviz. in Sylva nup. pag. 395. num. 154.

(g) Erasmi. in hoc Adag. pag. 518.

(h) Sup. Emblem. 29. per totum.

(i) Pet. Gregor. de Repub. lib. 7. cap. 19. num. 3.

pag. 484.

(k) Saaved. in Id. pol. pag. 119. & 441.

darum, aut innovandarum legum dixisset, in altero ita seriò suum Principem admonet: *Procurare el Principe acomodar sus acciones al estilo del Pais, i al que observaron sus Antecessores; porque aun las virtudes nuevas del sucesor, no conocidas en el Antecesor, ò en la Provincia, las tiene por vicios el pueblo, i las aborrece.*

28 Quod & ipsum, valdè à Prætoribus civitatum curari, & observari debere, satis doctè admonet, ex eisdem rationibus, Bobadilla (l), apud quem alia loca reperies, & præcipuè verba Francisci Patritii (m), quæ sic habent: *Civitatis statum diligant, contentique eo, nihil molantur, nihilque cogitent, quod alienum novumque sit, sed eam viam ire pergant, quam Majores instituerunt, quæque aliorum vestigiis atrita sit: Novarum enim rerum studium sæpius Rempublicam labefactare solet, quàm eam aliqua ex parte meliorem reddere.*

29 Porrò cum in omnibus, ut diximus, suspecta periculosa, & quantum fieri possit, vitanda Novitas sit, tum maximè id Christiani Principes in rebus ad Religionem pertinentibus, curare debebant, non solum ubi opinionum varietas, aut conscientie, quam vocant, *libertas*, in rebus ad Fidem Catholicam pertinentibus, & ab Ecclesia jam dudum ventilatis, ac definitis, intenditur, quòd, quàm sit damnosum, & execrandum, jam supra alio (n) loco retulimus; verùm etiam, ubi de novorum Sanctorum, & Reliquarum veneratione tractatur, aut de novis Monachorum cœtibus, collegiis, atque institutis introducendis, vel rebus quibuslibet aliis, quæ receptum, & antiquum Ecclesiæ cultum innovent, ut piè pariter, ac graviter in sacris Canonibus (o) edocemur.

30 Re enim vera, sola Catholica Ecclesia est, quæ verum cultum retinet. Hic est Fons veritatis, hoc est Domicilium Fidei, hoc Templum Dei. Quòd si quis non intraverit, vel à quo, si quis exiverit, à spe vitæ, ac salutis æternæ alienus erit, ut Lactantius Firmianus (p) eisdem propemodum verbis scripsit. Nec aliter quies, ac felicitas rerum publicarum, juxta D. Leonis (q) Papæ certissimum documentum, acquiri conservarique potest; nisi quæ ad Divinam Confessionem, Fidem, & Doctrinam Catholicam pertinent, politica quoque, ac secularis Potestas sollicitè tœatur, & à quibuslibet Novationibus hac in parte defendat, & Novatores in omnibus caveat, & insectetur.

31 Quo nomine ipsa Ecclesia, multis jam ab hinc annis *Sectarios* appellat, sic, valdè ad rem nostram, indicans, quàm sit omnis Novitas perniciosa, cum nullum aliud vocabulum, quo eos magis notare, & exprimere posset, invenit. Adversus quos facit illud Ciceronis (r): *Mare Majorum, quæ essent Religionem tenendas; & vetus ille versus, quo Livius olim, ut Divinus (s) tradit, solebat pro symbolo uti:*

*Moribus antiquis res stat Romana virisque,*

Et propriùs quod in Proverbiis (t) habetur: *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos possuerunt Patres tui.*

32 Quem locum in eos contorsit Vincentius Lirinensis (u), sic appositissimè inquit: *Que cum ita sint, iterum, atque iterum eadem mecum revolvens, ac reputans, mirari satis nequeo, tantam quorundam hominum vesantiam, tantam excœcatæ mentis impietatem, tantam postremo errandi libidinem, ut contenti non sint tradita semel, & accepta antiquitus credendi regula, sed nova ac nova in diem quærant, semperque aliud gestiunt Religionem addere, mutare, detrabere. Quasi non celeste dogma sit, quod semel revelatum esse sufficit, sed terrena institutio, quæ aliter perfici, nisi assidua emendatione, imò potius reprehensione non posset, cum divina clament oracula, Ne transferas terminos, quos posuerunt patres tui.*

33 Ceterum licet hæc verissima sint, semperque Novitas timeri caverique debeat, ut ex supra dictis apparet, non tamen ita strictè hoc accipi volumus, quin exigente id temporum rerumque ratione, vel evidentis utilitatis consideratione, (ut jam supra ex doctrina nostrorum Jurisconsultorum tetigimus) justum & licitum sit, aliquid ex Majorum legibus, aut moribus innovare. Nam, ut Innocentius III. (x) edixit non debet irreprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum, statuta quandoque prædictis ex causa varientur humana.

34 Et Quamvis Symmachus (y) dixerit: *Leges in commune bonum procedentes, numquam occasum pati;* veris tamen est, consenescere eas, languere interdum, & mori, ut ex optimis Auctoribus docet Franciscus Jureus (z), & apertè Claudiani (a) dum dixit:

*Priscamque resurgent*

Q9

(l) Bobadilla. in Polit. lib. 1. cap. 5. num. 9.

(m) Patric. de Republ. lib. 3. cap. 1.

(n) Sup. Embl. 10.

(o) Text. & gloss. opt. in cap. fin. de Rel. dom. & in

cap. unic. de end. tit. in 6. Pat. Ribad. in vita S. Ignat.

(p) Lactant. lib. 4. in tit. cap. 10. & seqq.

(q) Lactant. lib. 4. in tit. cap. ult.

(r) D. Leo epist. 26. & 31.

(s) Cicero. 2. de legib.

(t) Delt. in Adag. sacr. 2. tom. pag. 242.

(u) Proverb. 22. 20.

(v) Lirinensis. in lib. advers. proph. heres. novit.

(x) Innocent. in cap. non debet, de consang. & affinit.

(y) Symmach. lib. 10.

(z) Jureus. ad Sym. lib. 2.

(a) Claudian.

Ca-

Canicem leges, emendanturque vetustæ  
Acceduntque novæ.

35 Unde apud Livium (b) Lucius Valerius de lege oppia abroganda agens: *Quemadmodum (inquit) ex his legibus, quæ non in tempus aliquod, sed perpetuæ utilitatis causa in æternum latæ sunt, nullam abrogari debere fateor, nisi quam, aut usus coarguit, aut status aliquis Reip. nutilem fecit; sic quas tempora aliqua desiderarunt leges, mortales, ut ita dicam, & temporibus psis mutabiles esse video.*

36 Quod & Sextus Cecilius Juris Consultus apud Agellium (c) non inficiatur, & ab antiqua Prosapia, hoc est ipsorum Majorum, ac Jurisprudentium disciplina descendere, graviter Imperator Justinianus (d) testatur. Quem sequutus Martianus (e): *Æquali (inquit) in utroque æquitas est, vel promulgare quæ justa sunt, vel antiquare quæ gravia.* Et Rex noster (f) Alfonsus: *Emendar sus leyes, quando entender, ó le mostraren razon, porque lo debe hacer.* Et Isidorus Pelusiota (g) sic inquit: *Non grave, ac sceleratum est aliquid innovare, cum utilitas novitati adjuncta est. Non enim noxia & utilia vetustate perpenduntur, verum id explorandum est, an in antiquioribus vitium inveniat, an contra in recentioribus virtus reperiat.*

37 Cum quibus sentiens Thomas Morus (h), inter alia, quibus suum Principem instruit, illud est, ut non solum inutiles, vel damnosæ leges emendet: *Sed & abrogatas consuetudines, baud temerè revocet, præsertim quæ diu desite, nunquam desideratæ sunt.*

38 Certè enim, cum secundum eundem Justinianum (i), omnis noster status sub perpetua mutatione consistat, ipsius temporis vicissitudo, cui semper parendum esse, omnium sapientum Apophtegma nos docent, ut supra (k) latè tradidimus, has quoque interdum legum, ut & aliarum rerum mutationes, & innovationes expositulat: *Neque erubescendum est (eodem Justiniano (l) docente) si quid melius etiam eorum, quæ ipsi priores diximus, adinveniamus, hoc sancire, & competentem prioribus imponere correctionem.*

39. Politicæque, juxta doctrinam Canonherii (m) facere debent, quod Medici, qui contraria remedia morbis adhibent, quando priora nihil profecisse cognoscunt. Quod etiam Michael Hospitalius (n), his quæ sequuntur carminibus eleganter expressit.

Quam melius Medici, qui quo nihil ante priora  
Profecisse vident, adhibent contraria, leges  
Decepti medicas, artemque valere jubentes:  
Hoc nos illa modo, nuper quæ cepimus arma  
Ponere ne pudeat, hominesque errata fateri,  
Et magis apta malis, quæ sunt melicanina nostris.

40 Quibus addo, quod licet supra ex Tacito docuerimus super omnibus negotiis melius olim ab Antiquis videri provisum, hoc tamen non impedire, quin tempus, quod sapientissimum esse dixit Thales Milesius (o), quia omnia invenit, quodque, ut est in Adagio (p), *Omnia revelat*, aliquid, quot sit utile & laudabile nobis inveniendum, atque exequendum reservet, ut idem ipse Tacitus (q) Claudium Imperatorem in Senatu perorasse commemorat, dum de alienigenis in plenum civitatis Romanæ jus cooptandis, tractaretur: his verbis: *Omnia Patres Conscripti, quæ nunc vetustissima creduntur, nova fuere. Plebei Magistratus post Patricios, Latini post plebejos, ceterarum Italiae gentium post Latinos. Inveterasset hoc quoque, & quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit.* Et alibi (r), inquit: *Nec omnia apud priores meliora; sed nostra quoque ætas multa laudis, & artium imitanda posteris tradidit.*

40 Quæ verba, ut Lipsius (s) *ibi dem animadvertit*, haud disparibus sanè aliis Synesius (t) Cyrenensis Episcopus sic expressit *Multas rerum utilium tempus invenit, aut correxit. Non omnia ad exempla fiunt, & singula quæ facta sunt, initium semel habuerunt. Demus in nos principium meliori consuetudini.* Et similiter licet brevius Tertullianus (u): *Omnis res anterior posteriori normam præministravit; & alii plures, quos & multa sacræ Scripturæ exempla in eandem sententiam adduxit M. Fr. Antonius Perez (x), meritissimus Abulensis Episcopus.*

## EM.

(b) Livius lib. 34. Ego de parricid. lib. 1. cap. 5. pag. 16. & laitur in 2. tom. lib. 2. cap. 30. ex num. 63.

(c) Agel. lib. 20. cap. 1.

(d) Just. in l. 2. C. de vet. jur. enucl. vers. Quia in eo.

(e) Martian. Imp. in Novell. tit. 5.

(f) L. 11. tit. 1. part. 1.

(g) Pelus. lib. 2. epist. 46.

(h) Thom. Mor. in Utopia, lib. 1. pag. mihi 42.

(i) Just. Imp. in Authent. de non alien. §. ut autem lex.

(k) Sup. Emb. 43.

(l) Just. in Aut. de nuntiis, §. nos autem.

(m) Canon. in Aphor. pol. 1. tom. pag. 519.

(n) Hospit. lib. 1. carm. cujus & aliorum in simili me-  
mini Ego in 2. tom. lib. 2. cap. 30. num. 63. & seqq.

(o) Thales apud Laert. lib. 1. cap. 1.

(p) Eras. pag. 363. ex Terrul. in Apolog. & alior. Ego  
1. tom. lib. 1. cap. 12. num. 11. & seqq. Bobad. dit. lib. 1.  
cap. 5. num. 9.

(q) Tacit. lib. 11. Annal.

(r) Idem 3. Annal. cap. 55.


(s) Lips. in notis ad Tacit. pag. mihi.

(t) Synes. epist. 57.

(u) Tert. advers. Marc. 1. cap. 9.

(x) M. Ant. Perez in Penth. de Fide Ait. Apost. pag. 58.

## IN PRINCIPES INEPTOS JUDICES ELIGENTES.



Judice pro stulto Pistoje sedit assellus,  
Dicere, vel nullus jus, vel uterque potest:  
Si pudet, invigilet Princeps, populisque remittat  
Rectores, quales convenit esse viris.

## COMMENTARIUS.

Im ergo jam satis ex supra dictis eluceat, quantopere Principes, si boni, ut oportet, esse desiderant, bonis quoque Consiliis, Consiliariis, ac Magistratibus egeant, par est, ut eosdem de summa cura, & solitudine, quam in eorum delectu habere debent tantisper admoneamus; ut sic illud Cassiodori (a) verum efficiant: *Pompa mitorum est Regale judicium, quia nescimas ista nisi dignis impendere, ut illud magis æstimetur elegisse, quod cunctos dignum est approbare. Nam quibus fas est de cunctis optimos quærere, videntur semper meritis eligisse.*

2 Qui idem alibi (b), hoc in honorem ipsius Principis cedere, non minori verborum pondere, sic effatur: *Ad ornatum Palatii nostri credimus pertinere, aptas dignitatibus personas eligere: quia de claritate servitium crescit fama minorum. Tales enim provehere Principem decet, ut quoties Procerem suum fuerit dignatus aspicere, toties se cognoscat recta judicia habuisse. Et iterum (c): *Necessarium probatur esse Reipub. personas dignitatibus aptas eligere, ut cui justitia committitur, maxima scientia decoretur, & bonis moribus ornetur; alioquin inefficax est ab homine exigere, quod agnoscitur non habere, & confidenter petitur, quod inesse sentitur.**

3 Firmiusque testimonium Regius in eandem rem nobis exhibet Psaltes (d), qui suos se

Qq 2

ocu-

(a) Cassiod. lib. 1. epist. 12. & 43.

(b) Idem lib. 4. epist. 3.

(c) Idem lib. 3. epist. 25.

(d) David Psalm. 100. ubi Lorin. & alii.